LACTANTIUS

Oberitalien, 2. Drittel 15. Jh. (nach Wasserzeichenbefund) Seite 135r

Quelle: https://manuscripta.at/?ID=31239
Copyright: CC BY 4.0 <img src="https://manuscripta.at/styles/icon_cc_by.png"> Kontakt: Stift Stams   <img src="https://manuscripta.at/styles/universitaets-landesbibliothek-tirol.png" height="48">   <img src="https://manuscripta.at/styles/BMKOES_Logo.svg" height="48">   <img src="https://manuscripta.at/styles/EUnion_POS1.jpg" height="48">

adhibenda curatio est: Neque enim si utatur aliquis oculorum acie clara
membris omnibus integris firmissima totius corporis valitudine: tamen
eum dixerim sanum: si efferatur ira. superbia tumidus infletur. libidini
serviat: cupiditatibus marcescat: Sed eum potius qui ad alienam felici-
tatem non attollat oculos. opes non admiretur: alienam mulierem sanc-
te videat: nihil omnino appetat. nihil concupiscat alienum: non invi-
deat ulli: non fastidiat quemquam: Sit humilis. misericors. beneficus. mitis.
humanus. pax in animo eius perpetua versetur: Ille homo sanus. Ille ius-
tus. Ille perfectus est: Quisquis igitur his omnibus preceptis celestibus ob-
temperaverit: hic cultor est veri dei. cuius sacrificia sunt mansuetudo Sacrificium veri dei.
animi et vita innocens. et actus boni: Que omnia qui exhibet tociens
sacrificat: quotiens bonum aliquid ac pium fecerit: Deus enim non desiderat
victimam neque muti animalis. neque mortis ac sanguinis: sed hominis et
vite ad quod sacrificium neque verbenis opus est: neque fibris. neque cespitibus:
que sunt utique vanissima: sed his: que de intimo pectore proferuntur:
Itaque in aram dei: que vere maxima est. et que in corde hominis colloca-
ta inquinari non potest sanguine: Iusticia imponitur. patientia. fides.
innocentia. castitas. abstinentia. Hic est verissimus ritus. hec illa lex dei.
ut a cicerone dictum est preclara et divina semper. que recta et hones-
ta iubet. vetat prava et turpia: cui parentem sanctissime ac certis-
sime legi ac iuste ac legittime necesse est vivere: cuius legis pauca eiusdem
capita posui quae sum pollicitus ea me tantummodo esse dicturum que
que summum fastigium virtuti et iusticie imponerent: Siquis vo-
let cetera omnia omnia comprehendere: ex fonte ipso petat: unde
ad nos rivus iste manavit: —

Nunc de sacrificio ipso pauca dicemus. Ebur inquit plato non .XXV.
castum donum deo: Quid ergo picta scilicet et texta pretio- Plato.
sa. Immo vero non castum donum deo quicquid corrumpi.
quicquid surripi potest: sed sicut hoc vidit non oportere viventi of-
ferre aliquid: quod sit ex mortuo corpore. cur illud non vidit non debere
incorporali corporale munus offerri: Quanto melius Seneca et verius: Seneca.
Vultis ne vos inquit deum cogitare magnum et placitum: et maies-
tate levi. verendum amicum et semper in proximo non immolationi-
bus nec sanguine multo colendum: Que enim ex trucidatione immeren-
tium est voluptas. Sed mente pura bono honestoque proposito non tem-
pla illi congestis in altitudinem saxis extruenda sunt: In suo cuique est
consecrandum pectore: Vestes igitur et gemmas et cetera: que habent: